

nihilominus super eodem ovili pascuarumque negocio diligentius tam a iuratis ac veteribus sapientibus et fidelibus hominibus^{l)} regionis ipsius, quos convenire propter ea iusseramus, quam a prelati aliisque personis spectabilibus, que simul aderant et nosse poterant, inquisivimus veritatem, qui pariter quasi una voce dixerunt, quod numquam antecessores sepedicti domini Symonis mandram aliquam vel aliquorum animalium aliqua pascua habuerint in illis, unde agebatur locis, sed scire se et certos esse, quod omnia illa pascua mater ecclesia Sancte Severine semper possidere et habere pro una mandra ovium consuevit. Quibus peractis dominus Symon de Policastro cum domino Catacense episcopo fratre suo et cum universis, qui secum ac pro se venerant, in signum et argumentum se renunciationis^{m)} ipsius et perpetue concessionis a curia imperiali discessit. Nos ergo, qui super hec^{e)} omnia de iure monasterii Floris, parte licet adversa non contendente, sed tam liti et actioni, quam et molestationi prorsus renuntiante plene et aperte cognovimus et plene nobis constitit de omnibus, que in eadem causa^{l)} ipsa per se contra partem adversam preposuit pars Floris, rationabiliter diffinivimus et imperiali mandati nostrique officii auctoritate precipimus, quatenus amodo nullo umquam tempore predictus dominus Symon de Policastro vel consortes eius aut heredes eorum ovile aliquod figere vel aliqua pascua pro ovibus aut aliquibus aliis animalibus exceptis bubis suis, quando^{l)} ibi terram propriam^{l)} excolit, infra divisas et pertinentias tenimenti et pascuarum, que cum ecclesia Castellacii Florense monasterium ab ecclesia Sancte Severine, ut prescriptum est, censualiter in finibus civitatis ipsius possidet, debeant et presumant. Quod si fecerint aut presumpserint, indignationem imperialem incurrant. Ad quarum omnium rerum memoriam hoc presens scriptum scribi fecimus perⁿ⁾ manus Leonis curie notariiⁿ⁾ signis manum^{d)} nostrarum et attestationibus subscriptorum roboratum^{o)}.

+ Ego Iohannes de Logothetha Terre Iordane imperialis iusticiarius prescripta confirmo.

+ Ego Bartholomeus de Logothetha Terre Iordane imperialis iustitiarius prescripta confirmo.

+ Greco.

+ Greco.

+ Ego presbyter Sarracenus interfui et subscripsi.

XIV. l) *übergeschrieben über getilgtem Wort M* m) *senunciationis M* n) *per*
 – *notarii am Rand nachgetragen M* o) *folgt Ci è il segno del notaio von der Hand Venusios M*